



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SANCTI ANTIOCHI** INTRA FINES DIOECESIS  
ECCLESIENSIS PAROECIALE TEMPLUM  
IN INSULANA URBE V. D. «SANT'ANTIOCO» EXSTANS IPSIQUE SANCTO  
ANTIOCHO MARTYRI DICATUM TITULO BASILICAE MINORIS INSIGNITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Sancti  
Antiochi perantiqua in urbe, quae ad dioecesim Ecclesiensem pertinet, paroeciale templum Sancto Antiocho dicatum  
exstare ibidemque episcopalem olim sedem Sulcitan-Ecclesiensem fuisse pro comperta re habetur. Quoniamque pariter  
constat sacram eiusmodi aedem, in qua tum XI exeunte saeculo tum ineunte XII ampliore quidem facta corpus ipsius  
Sancti quem diximus magna cum veneratione adhuc asservatur, non modo vetustate rerumque memoria eminere, verum  
etiam, quod pluris sane interest, aetate nostra a compluribus Sardis fidelibus Christianae pietatis causa frequentari,  
idcirco aliquam censemus vel maiorem nunc ei tribuendam esse laudem. Ipse profecto Venerabilis Frater Ioannes  
Cogoni, Episcopus Ecclesiensis, per litteras die XXV mensis Martii datas anno MCMLXXXIV expromens sua et cleri  
populique vota, a Sancta hac Sede petivit, ut memoratum templum praestabili decoraretur titulo Basilicae Minoris.  
Quapropter, cum de ea iam re secundum facultates a Nobis factas viderit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina  
Sacramentorum, nunc Nos, qui et eiusdem Congregationis sententiam ratam facimus et semper in spiritale  
Christifidelium bonum enixe intendimus et cleri eorum solliciti curam studiumque confirmari volumus, vi et potestate  
Nostra Apostolica per has Litteras perpetuumque in modum dilaudatum paroeciale templum Sancto Antiocho dicatum ad  
gradum Basilicae Minoris evehimus eique iura et liturgica privilegia tradimus eiusdem Basilicarum ordinis propriis, iis  
tamen servatis, quae per Decretum «de titulo Basilicae Minoris» anno MCMLXXXIX statuta sunt die IX mensis  
Novembris. Item has Litteras Nostras nunc et in posterum religiose omnino exerceri iam volumus suosque etiam effectus  
habere, contrariis quibuslibet haud obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III  
mensis Septembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.* ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status* © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana

---